



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Testimonia Patrum pro eadem sententia. c. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

indicia, dum cuius vult miseretur, & quem vult indu- rat. Idem profus habet libr. de bono persever. Quod si adversariorum sententia vera esset, mani- fecta huius differentia causa assignari posset, quia nimirum, unus consentit pro libertate sua adiutus gratia, alius eadem gratia repugnat. Refert autem Augustinus causam huius in abscondita Dei indica, quia inde solum provenit, unum ita vocari, ut respondeat, atque eo ipso illius dicitur misereri Deus. alium vero ita, ut non respondeat, & ideo dicitur Deus illius non misereri.

Postremo illud quod Baruch. 3. dixit de gigan- tibus, quos Deus non elegit, ad omnes reprobos optime potest accommodari. Non hos inquit elegit Dominus, neque vitam disciplinae invenerunt, propterea perierunt. & quoniam non habuerunt sapientiam, interie- runt propter suam insipientiam. Nam quamvis non omnis, qui peccat, ex ignorantia peccet, omnis tamen talem patitur defectum considerationis, ut quamvis ex eo libertas eius non impediatur, ve- ratamen sapientia dicitur carere. Sapientia enim ea cogitatio est, quae ita rem apprehendit, & con- siderat, ut affectum ad recte operandum moveat. Hunc autem defectum in omnibus, qui peccant; reperit, dubium non est, teste S. Thom. 1. 2. qu. 77. artic. 2. ubi ibidem fufius tractabimus. Idcirco scriptura caecum appellat eum, qui male opera- tur: imo & Arist. 3. Ethic. capit. 1. ait: Omnis igitur pra- vis ignorat, quae agere oporteat: hoc est, non attente considerat, quae sunt agenda. Est igitur inaequali- tas ex parte cogitationis, quam Deus pro volun- tate sua disponit, & capit. 7. huius disputat. ostend- demus.

homo peccat etiam electus, deesse illi certam il- lam scientiam, & victricem delectationem: non est igitur aequalis exercitatio ex partes intellectus, & primi motus voluntatis in eo, qui responderet, & in eo qui resistit. Dixerat enim Augu. in eo libr. cap. 17. omne peccatum provenire ex defectu cer- tae scientiae, & victricis delectationis his verbis: Ideo quisque nostram bonum opus suscipere, agere, imple- re nunc scit, nunc nescit, nunc non delectatur, ut noverit, non sua facultatis, sed divini muneris esse, vel quod sit, vel quod delectatur. Certe non loquitur de delectatione, quae iam est cum consensu, ut ex praedictis liquet, sed de ea, quae simul cum congrua cogitatione, Deus affectum nostrum ita disponit, ut consen- sum ab eo eliciat; ex cuius defectu peccatum pro- cedit, ut ipse testatur.

Secundo probatur ex eodem Aug. libr. de praedest. Sanctior. cap. 6. ubi sic ait: Multi audiunt verbum verita- tis sed alij credunt, alij contradicunt, volunt ergo isti, no- lum, autem illi: quis hoc ignorat? sed cum aliis preparatur, voluntas, aliis non preparatur, discernendum est, quid ve- niat de misericordia, quid de iudicio. Assignat ergo dif- ferentiam ex parte divinae praesumptionis, quia Deus unius preparavit, & praesumpuit voluntatem, media congrua vocatione, alterius vero non preparavit, & in priori misericordiam agnoscit, in posteriori vero iudicium. Ut autem ipse Aug. expresse nota- vit Epistola 107. post medium, voluntas per occul- tam inspirationem preparatur: inspiratio vero est gratia operans, & praeveniens, ut supra diximus disput. cap. 88. 9. & iterum in eadem Epist. inquit, per gratiam Dei antecedentem preparari volun- tatem: ergo inaequalitatem agnoscit Augu. non so- lum in cooperatione gratiae: sed etiam in ipsa gra- tia antecedenti: ut maior sit in eo, qui responderet, ea vero ex iudicio denegetur, ei, qui non responderet, & ita in eo minor sit. Misericordia autem apud Augu. non est, qua conceditur quavis gratia, sed qua conceditur efficax gratia. Nam in libr. 1. ad Simplificium qu. 2. ut vidimus capit. preceden. in- quit, eorum Deum misereri, quos vocat congrua vocatione, quae efficax est, id quod ex toto illa quaestione manifeste patet: in tempore autem, & donatione ipsa gratiae, hanc differentiam con- stituit Prosper in lib. ad excerpta Genuensium, ad tertium dubium explicans hunc Aug. locum, qui Genuen- sibus visus fuerat difficilis, his verbis: Nuncquid du- bium est, cum verbum veritatis predicatur, alios voluntate non credere? sed cum illorum cor Deus aperuerit, illorum autem non aperuerit, discernendum est, quid veniat de mi- sericordia, quid de iudicio.

Eodem pacto idem Aug. eo libr. cap. 8. post me- dium hanc differentiam ostendit in ipsa distri- ctione gratiae quae fit in tempore, hoc modo: Cum legi- tur Evangelium predicatur, quidam credunt, quidam non credunt. Sed cui credunt predicatori forissecus sonant, intus a Patre audiunt, & discunt, qui autem non credunt, forissecus audiunt, intus autem non audiunt, neque; dis- cunt. Explicans autem, quid sit intus audire, sub- iungit, Hoc est illis datur, ut credant: illis non datur, quia nemo (inquit) venit ad me, nisi Pater qui misit me, tra- xerit eum. Quid quales est, dati alicui, ut credat, & alteri non dati, nisi sonum internae inspira- tionis ita vivus intellectui aptari, ut audiat & credat: altero vero non aptari, ex quo fit ut non credat, nec audiat; Haec autem diversitas vocatio- nis a solo Deo est, qui novit vno & alio modo vocare. Quis autem dicat eum, qui non accepit.

CAPUT IV.

Testimonia Patrum pro eadem sententia.

Si diligenter scripta Augu. evolvamus, non so- lum competiemus praedictam opinionem ei semper in ore, semper in corde fuisse, verum etiam contra Massilienses eam acriter propugnasse, ut inde quoque intelligamus, quanti apud nos esse debeat, quando August. causa contra Massilien- ses grauilissimis Ecclesiae Patribus, & Pontificibus admodum probata fuit, ut disput. 19. capit. 5. mon- strauimus. Sunt igitur praeterea Aug. testimonia, quibus non obscure hanc nostram sententiam tradidisse videtur.

Primum testimonium fit ex libr. 2. de peccat. mer. & remiss. capit. 19. ubi ita scribit. Nos autem, quantum concessum est, sapiamus, & intelligamus si possu- mus, Dominum Deum bonum ideo etiam sanctus suis alicui operis iustitiam aliquando non tribuere, vel certam scien- tiam, vel victricem delectationem, ut cognoscant non a se ipsis, sed ab illo sibi esse luem, qua illuminentur tenebrae eor- um. & sanitatem, qua det fractum suum terra eorum. Appellat certam scientiam, congruam cogitatio- nem, & considerationem eius, quod agere oportet, ut disp. 88. cap. vlt. diximus: victricem etiam delectationem, vocat affectum, qui ex hac scientia subito procedit, & quo allicitur voluntas, ut voca- tioni libere consentiat; quae duo ad gratiam ope- randam, excitantem, & praeveniens pertinere eadem disput. cap. 4. monstrauimus. Ait ergo Aug. hanc gratiam operantem negari internum a Deo factis electis, cum scilicet sint eos in peccatum labi, ut dicant esse donum Dei, existimat itaque eum

ut credat, æqualem gratiam & misericordiam præuenientem à Deo accepisse cum eo, cui fuit donatum, ut credat; & paulo superius, ostendens quosdam doceri à Deo, alios non doceri, inquit: *Nam si & illos quibus stultitia est verbum crucis, ut ad Christum venirent, docere voluisset, procul dubio venirent & ipsi.* Obiicit sibi deinde; *Quare (inquit) non opines docet? Respondet ipse. Si dixerimus, quia nolunt discere, quos non docet, respondebitur nobis, & vbi est quod ei dicitur, Domine tu conuersens viuificabis nos: aut si non facit volentes ex nolentibus Deus, quod orat Ecclesia secundum præceptum domini pro persecutoribus suis? Atqui iuxta sententiam, aduersariorum æque docet Deus aliquando eum, qui audit, & discat, & eum, qui non discit, nec audit; & ideo non omnes docet, quia non omnes discere volunt. Hoc autem impugnant Augustinus ex illo Psal. 84. *Deus tu conuersens, &c.* ostendens, ex Deo peculiari ratione provenire viuificationem, & disciplinam nostram, & id peculiare nos petere pro persecutoribus, quod habent omnes, qui discunt ita enim docentur: ut addiscant, quod genus doctrinæ tanquam peculiare beneficium ex sola Dei libertate quibusdam confertur.*

19.

August.
Psal. 84.

Id ipsum perspicue nobis tradidit Gregorius homil. 30. in Euang. his verbis: *Quia nisi idem spiritus cordi in se audieris, otiosus est sermo doctoris. Nemo ergo docenti homini tribuat, quod ex ore doctoris intelligit, quia nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat. Ecce vnam loquentis vocem omnes pariter auditis, nec tamen pariter sensum audita vocis percipiunt. Cum ergo vox dispar non sit, cur in cordibus vestris dispar est vocis intelligentia, nisi quia preter hoc, quod vox loquentis communiter admonet, est magister interior qui de vocis intelligentia quosdam specialiter docet. Ecce Gregorius, specialem doctrinam spiritus iatus mouentis tribuit iis, qui respondent, in qua gratiam operantem specialem necesse est agnoscamus.*

Tertium
Aug. restimur.

Tertio confirmatur ex eodem Augustini libr. 6. vbi plane monstrat peculiarem vocationem esse in eo, qui respondet. *Vocat inquit Deus prædestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra prædestinati vnici filij sui, non ea vocatione, qua vocati sunt qui noluerunt venire ad nuptias, sed ea vocatione prædestinatos vocat, quam distinguit. Apostolus, 1. ad Corinth. 1. dicens ipsi vocati iudeis, & Grecis predicare se Christum: & paulo infra, Sciens esse quandam certam vocationem eorum, qui secundum propositum vocati sunt. De hac ipsa post pauca addit, Sed qua vocatione sit credens. Vult igitur Augustinus in omnibus prædestinatis non communem, sed singularem esse vocationem, quam distinguit Apostolus, cumque vocatio sit gratia operans, & excitans omnibus prædestinatis fuisse concessam ratione cuius idem Augustinus libro de prædestinatione Sancti. cap. 6. docet voluntatem preparari prædestinatis, cum alius non preparatur. Multi audiunt (inquit ille) verbum veritatis, sed alij credunt, alij contradicunt. Volunt ergo isti credere, nolunt autem illi. Qui hic ignouerit, cum alius preparatur voluntas, alius non preparatur, discernendum est, quid veniat de misericordia, quid de iudicio: quid obsecro provenit de misericordia, nisi ipsum credere: quid vero de iudicio, nisi ipsum contradicere: Putat ergo Augustinus iis, qui credunt, ex misericordia fuisse voluntatem preparatam, aliis vero ex iudicio non fuisse: ac proinde nec æqualem in vtriusque Dei gratiam, & misericordiam præuenientem, nec eodem modo dispositam, & excitatam eorum voluntatem existisse: illud enim ex quo provenit*

20.
ad Cor. 1.

ipsum credere, prius est consensus nostro, ac proinde ad gratiam pertinet præuenientem.

Postremum testimonium sit desumptum ex Hilario Arelaten. in epist. ad Aug. que habetur antel. de prædestinat. Sanctorum, vbi contra Augustinum doctrinam refert mormuratum Massiliensibus verbis: *Deinde moleste serunt, ita diuidi gratiam que vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus datur: ut illi acceperit perseverantiam, non qua feret, ut perseveraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseverare non possit: nam vero sanctis in regnum per gratiam prædestinatis non tale adiutorium perseverantia datur; sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possent: verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint. His verbis sanctitatis iure ita mouentur, ut dicant, quandam desperationem hominibus exhiberi. Si enim (aiunt) ita Adam aditus est, ut stare posset in iustitia, & à iustitia declinare, & nunc ita sancti inuuantur, ut declinare, non possint (siquidem eadem acceperunt voluntas perseverantia ut aliud velle non possint) vel sic quidam deservunt, ut aut nec accedant, aut si accesserint, & recedant, ad illam voluntatem peruenisse dicunt exhortationis, vel comminationis viuitatem, que & persistendi, & desistendi obtinebat liberam potestatem, non ad hanc cui nolle iustitiam inuitabili necessitate coniunctum est: Et Paulus post. Vnde & in hoc solo volunt à primo homine omnino distare naturam, ut illum integram viribus voluntatis inuaret gratia volentem, sine qua perseverare non poterat, his autem omisit, & perditis viribus credentes tantum non solum erigat prostratos, verum etiam sufficit ambulantes. Verum quicquidlibet donatum sit prædestinatis, id posse & admittere, & retinere propria voluntate continentur.*

Ex quibus colligitur, nunquam Massilienses existimasse liberum arbitrium hominis vel Angelis sine gratia Dei perseverare potuisse, ut falso illis adscribit Sandertus lib. 7. de visibili monarchia. lib. 9. 9. verbis enim citatis: *planè fatentur, hominem in integra natura sine auxilio gratiæ dei perseverare non potuisse. Id quod Faust. Regentis, qui huius sectæ Massiliensium acerrimus defensor fuit, ut notauit dif. 8. cap. 4. expresse docuit: lib. enim de gratia & libero arbitrio, cap. 1. contra Pelagium ita loquitur: Ego arbitror, quod liberum arbitrium sibi sola sufficere (scilicet ad salutem) sine prædicto gratia non potuerit, etiam antea quam privilegium illius transgressio violaret. Solum igitur Massilienses contra Augustinum obmurmurabant, eiusque verbis defendebantur, quod ille duas gratias præuenientes distingueret, alteram perseverantes, que non perseverant, qua fiunt perseverantes, que non fuit concessa primo parenti in statu innocentie; alteram, cum qua possint homines perseverare, sed non perseverant: que sola primis parentibus & Angelis malis donata fuit.*

Has duas gratias Augustinus distinguit lib. de correctione, & gratia cap. 11. vbi de gratia, que per Christum post naturam lapsum donata fuit, ita scribit: *Et tanto amplius (scilicet adiutorium) datur per Christum Dominum nostrum, quibus id dare. Deo placuit, ut non solum adsit, sine quo permanere non possimus, etiam; verum etiam tantum, ac tale sit, ut velimus. Et eodem modo duas gratias clarissime etiam distinguit eodem libr. cap. 12. vbi habentur verba, que Hieronymus recitavit in illa Epist. quibus Massilienses defendebantur.*

Addit præterea cap. illo vndecimo gratiam quam per secundum Adamum recipimus, potentioris quidem esse, quam qua in statu innocentie

centiæ primis parentibus concessa fuit, licet illa fuerit lætior. Illa enim in eo statu absque vlla passionum rixa, & perturbatione fuit effectum tamen perseverantia non habuit: nunc autem cum magna pugna passionum facit, vt prædestinati perseverent. Sentiebant itaque Massilienses, communem esse gratiam prævenientem, qua omnes per singulas occasiones excitantur, vt persevererent: neque peculiarem esse in illis, qui de facto perseverant: quia alioqui si hanc peculiarem gratiam illi solum haberent, qui perseverant: efficeretur, nullum sine illa posse perseverare, & nullum cum illa posse non perseverare. Vnde inferebant, omnem correptioni, & comminationi præcludi viam, & desperationem quandam induci.

Verum enim vero nullam Aug. desperationem, aut necessitatem induxit. non enim dixit, sine peculiari gratia neminem posse perseverare, sed neminem sine illa perseverare: Distinxit vero aliam communem, cum qua dixit, hominem posse perseverare, & sine ea perseverare non posse. Quod si diceret sine illa speciali gratia neminem posse perseverare, non de impossibilitate antecedenti, quæ est ex parte causæ, sed de consequenti, quam secum affert præcipientia eventus futuri (de qua sæpius dictum est) intelligendus esset. Quæ quidem impossibilitas, sicut etiam consequens necessitas, nec tollit, nec lædit libertatem nostram, sed eam supponit.

Hoc sensu aperte loquitur Aug. lib. de bono perseverant. cap. 6. vbi respondens obiectioni illi Massiliensium, quam Hilarius ad ipsum scripserat, inquit: Sed nolant, (vt scribitis) isti fratres. ita hanc perseverantiam predicari, vt non vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter possit: vbi, quid dicant parum diligenter attendunt. De illa enim perseverantia loquitur, qua perseveratur vsque in finem: quæ si data est, perseveratum est vsque in finem, si autem non est perseveratum vsque in finem, non est data. Et paulo infra, Perseverant iam vero vsque in finem quoniam non habet quisquam, nisi qui perseveraverit vsque in finem, multi possunt eam habere, nullus amittere. Et paucis interiectis: cum enim perseveraverit quisque vsque in finem, nec hoc donum potest amitti, nec alia, quæ potest ante finem. Docet igitur Aug. impossibile esse, perseverantiam gratiam amitti, eo sensu, quo dicimus, omne quod est, quando est, non potest non esse, quæ impossibilitas, aut necessitas solum est comitans, aut consequens rem, nullo modo contraria libertati, vt sæpius dictum est.

Atque de eadem tantam necessitate consequenti videretur loquutus Cælestinus episcopus. 1. ad Episcopos Gallie can. 7. cum ait, neminem etiam baptizatum, idoneum esse ad superadam diaboli insidias, & ad evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium, perseverantiam bonæ conversationis acceperit. Atqui teste August. lib. de bono perseverant. cap. 1. & 6. perseverantiam, quod & ipsam nomen indicat, nullus habet, qui de facto non perseverat, etiam si habeat, vnde perseverare possit. Cum igitur Cælestinus ait, neminem esse idoneum, hoc est, neminem posse superare tentationes, nisi habeat donum perseverantiam, non de possibilitate antecedenti, sed de sequenti debet intelligi. Nam si de antecedenti sit sermo, cum auxilio sufficienti, quod non dicitur perseverantiam, vel perseverantiam donum, quisque perseverare potest, & tentationes omnes superare.

Vasquez in 1. pars Tom. I.

Eodem modo intelligendus est Innocentius 1. in epist. 91. apud August. quem refert Cælestinus in canon. 7. cum ait. Quibus (scilicet auxiliis quotidianis) nisi freti confisque nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Necessè est enim, vt quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuante vincamur. Quare verba de auxilio efficaci. & congruo sunt intelligenda. Cum enim ait, Deo non adiuante, significat Deo permittente, Deus autem permittere dicitur, non quod sufficiens auxilium neget, sed congruum. Dicit ergo, necessè esse nos vinci, si congruo destituamur auxilio, & speciali illo dono perseverantiam necessitate solum sequenti, non accedenti. Nam de antecedenti placet Conc. Trid. sess. 6. capite 5. ita nos gratie vocanti respondere, vt ei repugnare possimus. Denique quamvis prædestinati possint antecedenti possibilitate perseverare, & vocationi resistere, eam tamen peculiarem gratiam, qua Deus eos prævenit, non possunt non habere, cui oppositum Massilienses insinuare videbantur, Habemus igitur ex sententia Augustini, Cælestini, & Innocentij in eo, qui perseverat, specie donum perseverantiam reperit, ac proinde maiori gratia semper excitari, quam cum, qui vocanti non respondet; & oppositam sententiam, quam nonnulli Scholastici sequuntur, Massiliensibus quondam placuisse.

Quod vero illi Massilienses contra August. inferebant, correptionem scilicet, & comminationem nihil prodesse: nullus est momenti, vt ostendimus disput. 9. cap. 18. Prosequitur autem Aug. contra Massilienses libro illo de bono perseverantiam cap. 15. & 22. quo pacto ij, qui perseverant, acceperint gratiam adiutorium peculiare, quod aliis non fuit concessum; quod appellat adiutorium gratiam miserantis.

Accedit Prosper, & ipse per omnia Augustinianus in lib. 2. de vocat. gent. cap. 23. alias 8. qui ostendens, eandem esse electionem inter adultos, & inter paruulos, vt quibusdam detur gratia electionis, quibusdam non detur sola Dei voluntate, sic ait: Sicut autem circa maiores, præter illam generalem gratiam parvulis, atque occultius omnium hominum corda pulsantem, excellentiore opere, largitiore munere, potentiore virtute, vocatio specialis exercetur: ita etiam circa innumeros paruulos eadem manifestatur electio. Sentit igitur electis adultis excellentius opus, maius munus, potentiore in virtutem, vocationemque specialem concedi. Et in lib. ad capitula Gallorum cap. 5. vbi Galli hanc obieciunt Aug. propositionem tanquam absurdam, quam ex illius scriptis colligebant. Quod qui vocati sunt, non aequaliter sint vocati, sed alij, vt crederent; alij, vt non crederent. Respondet Prosper his verbis: Si vocatio in Evangelij tantum predicatione intelligatur, non veraciter dicitur, quod alij, atque alij aliter, atque aliter predicetur, cum vnus sit Deus, vna fides, vna regeneratio, vna promissio. Si autem ad effectum plantationis, & rigationis aspicitur, aliud actum est cum eis, quorum exteriores aures corporali voce pulsate sunt: aliud in eis, quorum interiorum sensum Deus aperuit, & in quorum corde posuit fidei fundamenta, &c. De quo iterum cap. huius dispositionis.

His omnibus addere possumus præclarum Apertum S. Thomæ testimonium 1. 2. quæst. 112. artic. 4. S. Thom. test. vbi cum quaereret, an gratia sit maior in vno, quam in alio; Respondet, esse quidem maiorem: loquitur autem de gratia habituali, cumque assignasset,

Alius Innocent. locus explicatur. Cælestinus 25.

Con. Trid.

26.

Diuisio gratia in sufficientem & efficacem, & abstrahit ex Prosper.

Apertum S. Thom. test. vbi cum quaereret, an gratia sit maior in vno, quam in alio; Respondet, esse quidem maiorem: loquitur autem de gratia habituali, cumque assignasset,

vt causam huius inæqualitatis diuersitatem dispositionis, qua ad gratiam præparamur, subdit hæc verba: *Sed ex hac parte non potest accipi prima ratio huius diuersitatis, quia preparatio ad gratiam non est hominis, nisi in quantum liberum arbitrium eius præparatur à Deo. Unde prima causa huius diuersitatis accipienda est, ex parte ipsius Dei, qui diuersimode sua gratia dona dispensat.* Cum igitur S. Doctor non solum velit concedere inæqualitatem in ipsa actuali dispositione, in quam est gratia cooperans, sed in largitione etiam donorum, quibus arbitrium præuenitur, plane indicat, in gratia præuenienti inæquales eos fuisse, qui inæqualem gratiam habitalem consequuntur.

CAPVT V.

Explicatio triplex præcedentis opinionis refellitur.

Anequam non obscura ratione prædictam sententiam confirmem, operæ precium duxi, verum illius sensum exponere. Aliqui enim mentem Augu. ex quo illa desumpta est, non assequuti, ita eam sunt interpretari, vt permultis, & doctis viris nimium seuera, & à veritate aliena visa fuerit. Quatuor igitur modis eam explicare possumus: sed postremus sensus illius amplectendus est, & ratione demonstrandus. Quare alios tres in hoc capite refellere, necesse erit.

Prima explicatio.

Primo igitur quidam prædictam sententiam ita intelligunt, vt affirmet primum, cum illo solo auxilio, quod appellatur sufficiens, nullum respondere posse, nihil ei efficax concedatur: deinde addunt, concessio illo efficaci, ita voluntatem ad consentiendum moueri, vt ei dissentire non possit. Quæ sane interpretatio, si de auxilio gratiæ præuenientis, & excitantis intelligatur, & de impossibilitate antecedenti, quæ est ex parte causæ, vt recentiores intelligunt, mihi semper admodum difficilis visa est. Ex priori namque parte eius sequi videtur primum, frustra illud appellari auxilium sufficiens, si cum eo voluntas ex se non potest velle, & operari: præterea eo solum concessio non esse positum in voluntatis libertate consentire, aut dissentire: siquidem sine alio efficaci, & congruo voluntas moueri non potest impossibilitate ex parte causæ.

27.

28.

Enusio.

Reficitur.

At respondent aliqui, si homo uteretur bene auxilio illo gratiæ sufficienti, Deus concederet illi peculiare illud, quod efficax appellatur. Verum hoc responsum facile refelli potest. Nam si homo uteretur bene auxilio illi sufficienti, iam illi consentiret, & vocationi responderet, aut effectum profecturando, quod vocatione proponit profecturandus; aut fugiendo, quod admonet esse fugiendum: & utroque modo nihil superesset faciendum pro illo opere, quod proponeret vocatione, & auxilium sufficiens, nec pro illo iam amplius efficax auxilium necessarium esset. Nam si ei, qui primo auxilio bene vitur, conceditur aliud secundum, illud sane ad illud opus, non ad idem conceditur. Cum autem inquirimus, vtrum ei, qui responderet, detur peculiaris gratia, quæ non tribuitur alteri, qui non responderet, an non de auxilio gratiæ per singula opera, ad quæ necessaria est gratia, intelligimus: in singulis igitur illud est peculiare, & efficax, cui voluntas consentit, diciturque congrua

vocatio: illud vero sufficiens tantum, cui respondere potest, sed non responderet.

Nec minus facile refutati potest, quod in posteriori parte interpretatio huius sententiæ docet. Si enim de auxilio excitanti, & præuenienti, quod non est in nostra potestate, sermo sit, primum prædicta sententiæ potest confutari ex Concilio Sionensi, celebrato anno 1528. cap. 15. vbi ita scribitur: *Nec tamen tanta gratiæ necessitas libero præiudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad osium & pulset, cui si quis aperuerit ianuam, intrabit ad illum. Et cœnabit cum illo: nec denique tale sit huiusmodi trahentis Dei adiutorium, cui resisti non possit.* Vbi plane concluditur loquitur de auxilio præuenienti efficaci, cui consentimus: tum quia loquitur de trahenti, tractio autem est efficacis auxiliij. Tum etiam quia loquitur de homine, qui aperit Deo cor per consentium. Explicans autem naturam huius tractationis, inquit statim. *Trahit quidem Deus, sed in eius odorem currimus, non vi, non vincto raptamur.* Atqui applicatio illa, quam prædicta sententiæ adstruere molitur, nihil aliud videtur esse, quam vnus quidam, qui tantam apprehendit voluntatem, vt apprehensa non eurrere, aut se sistere non valeat.

Deinde eadem sententiæ ex Conc. Trid. sess. 6. capit. 5. refelli potest: nam de modo, quo voluntas nostra inspirationi diuinæ assentitur, & cooperatur, sic dicit: *Neque homo ipse nihilominus negat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam abiecit potest.* Loquitur autem Conc. de illa speciali inspiratione, qua excitantur illi, qui respondent, hanc vero, inquit, ita ab eis recipi, cum ei consentiant, vt illam abiecere, eique resistere possint, non consentiendo. Quod si de auxilio gratiæ comitantis, & cooperantis id intelligatur, extraneam, & controuersiam propositam omnino est, neque enim quisquam dubitat, quisquam, cum, qui respondet, quandam gratiam, vel effectum illius habere, quem alius, qui non respondet, non habet, cooperatiorem videlicet diuinæ gratiæ. Difficultati verò proposita est de gratia præuenienti, an sit peculiaris, & maior in eo, qui respondet, vt consentiat, quam in alio, qui repugnat: asserere ergo huius gratiæ, & inspirationi præuenienti hominem ita consentire, vt eidem resistere nequeat, videtur contra definitionem Concilij Trid. cap. cit. quam expresse Prosper lib. 2. de vocatione gentium, capit. 28. alias 9. cum inquit *qui (scilicet Deus) ad obediendum sibi, ipsum velle sic donat, vt etiam à persueraturum illam mutabilitatem, qua potest si nolle, non auferat.* Oppositum autem huic doctrinæ Prosperi dixit Caluinus l. 2. instit. c. 3. vbi ita scribit: *Mouet Deus liberum arbitrium, non vt multis seculis creditum est, vt postea nostra sit electionis motioni Dei aut obtemperare, aut resistere.*

Deinde sequi videtur ex hac opinione, nostram libertatem gratia præueniente lædi, & impediri, siquidem ea posita, non est in nostra electione consentire, & repugnare. Neque enim factis est, si dicatur necessitatem illam esse ex suppositione: nam quæries suppositio talis est, vt nostram libertatem præcedat, & ea posita, non manet libertas: quæ quidem dicitur necessitas antecedens, aut fertur omnino electio, & libertas nostra impeditur, tamen si necessitas, quæ sequitur ex suppositione euentus futuri, ex nostra libertate, cum sit posterior, eam nullo modo lædere potest: quam differentiam late profecturum sumus disputat. 4. Ex